

PARS TERTIA.

CAPITULUM CATHEDRALE INSTITUTUM AD SUPPLENDUM EPISCOPUM.

CAPUT XVII.

SEDE PLENA.

§ 1. An capitulum Episcopum admonere debet, si opus fuerit.

I. Juxta Evangelium tenentur omnes, si casus accidat, ad correctionem fraternalm. Ad hanc etiam aliquando teneri possunt inferiores erga superiores, ut constat exemplo S. Pauli erga S. Petrum. Si ea quorumcumque hominum et etiam inferiorum sit obligatio et conditio, a fortiori in casu occurrente tenebitur capitulum, quod ad hoc institutum est, ut sit consilium et senatus Episcopi, ac cum eo unum quasi corpus efformare debet (1).

II. Auctores specialiter notant admonendum esse Episcopum, si residentiæ leges non servaret. Capitulum proprium Prælatum citare, aut in eum animadvertere nequit, eum tamen requirere vel monere potest, ut redeat ad residentiam (2). Quinimo urgeret hæc obligatio, et quidem sub gravi, si, quod Deus avertat, Episcopus moliretur aliquid contra fidem aut Ecclesiæ jura (3).

III. Si quandoque necessitas exigat, ut canonici Episcopum de aliqua admoneant, vel corripiant, vel a consilio aliquo deducant, omnino cavenda est omnis audacia et irreverentia, atque semper agendum est cum ea humilitate, modestia, mansuetudine ac veneratione, quæ et inferiorum admonentium statum et admoniti superioris dignitatem decent: sicut S. Paulus I ad Tim. V, 1. Scribit: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

(1) Andreucci n. 222; Bouix de capitulis p. IV, cap. IX; Craisson, n. 2438.

(2) Fagnanus in I p. III, Decretal. cap. Qualiter de clericis non residentibus n. 2; Scarfantonius lib. 4, tit. XII, n. 20.

(3) Bouix et Craisson loco cit.

§ 2. De officio capituli, si Episcopus negligens fuerit.

Negligentia intelligitur, non qualiscumque, sed notabilis et gravis, quæ cedit in grave diœcesis præjudicium.

Si Episcopus taliter negligens fuerit, capitulum tamen se ingerere nequit in exercitium administrationis aut jurisdictionis Episcopalis, nisi in aliquo casu ita a jure statuatur, ut de conferendo beneficio, quod Episcopus intra tempus statutum conferre neglexit: quia alias id capitulo a jure nunquam legitur concessum, et in materia generaliter prohibita, qualis est hæc, quod expresse non permittitur, prohibitum censemur (1). Neque idcirco capitulum vicarium constituere potest, tum quia jus hanc facultatem non concedit, tum quia alia non desunt media, quibus negligentia Prælatorum suppleri potest et debet (2).

Primo capitulum Episcopum de negligentia, reverenter semper sed tamen sincere, admonere potest et debet, sicut § præc. dictum est. Deinde opportunum datur remedium, vel per recursum ad Papam, ut ipse negligentem Episcopum adigat, ad faciendum officium debitum; vel saltem ad Archiepiscopum, ut hic illum, tanquam sibi immediate subjectum, inducat, ad munera ejus adimplenda (3).

§ 3. De officio Capituli, si Episcopus abfuerit, et obierit vicarius ab eo constitutus.

I. Episcopo peregrinante, concilio generali assistente, aliamve ob causam absente, capitulum vicarium constituere non potest (4).

II. Si autem Episcopus in remotis regionibus agat, et vicarius, ab eo ad diœcesis administrationem deputatus, moriatur; plures auctores (5) censem, diœcesis regimen ad capitulum devolvi, et capitulum vicarium constituere posse. Si hæc opinio initio sæculi decimi

(1) Andreucci n. 166 et 167.

(2) Andreucci n. 160.

(3) Andreucci n. 166.

(4) Andreucci n. 160.

(5) Cardinalis de Luca, Annotationes practicæ discursu 31, n. 38; Barbosa de officio et potestate Episcopi p. III, alleg. 523; Pellegrinus, Praxis vicariorum part. 1, sect. 4, subsect. 5, n. 1; Krimmer in lib. I, Decretal. n. 2328; Bouix de capitulis p. 5, sect. 1, cap. 1; Craisson n. 1217.

noni admitti potuisset propter difficultatem communicationis, quæ tunc adhuc subsistebat : hoc tamen tempore, tanta habita facilitate communicandi per totum mundum, admitti nequit, quia sedes nec vere vacat, nec adest casus quasi vacationis, de quo infra § 5; sed casus, si occurrat, annuntiandus est Episcopo, qui alium vicarium constitutus; vel recurrentum est ad Sedem Apostolicam, cuius est modum administrationis praescribere. Sic decrevisse S. Congregationem Ep. et Regul. 11 Januarii 1616 in *Messana* ex cap. penult, juncta glossa verb. *mortem*, *de supplend. neglig.* *Prælat.* in VI, refert Nicolius in flosul. verb. *vicarius capitularis* num. 57 et tenet Monacelli tom. I, tit. 1. formul. I, num. 2 (1). Si interim res moram non patiatur, administratio pertinebit ad capitulum (2).

§ 4. *De casibus, in quibus Episcopus renuntiaverit, translatus fuerit, vel discesserit non reversurus.*

I. Si Episcopus renuntiaverit ecclesiæ seu dioecesi suæ, vel ab ea translatus fuerit, ipsa ecclesia seu dioecesis vacat ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in consistorio Sanctitatis Suæ; etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ (3); ita tamen ut jurisdictione penes Episcopum esse beat, quousque nuntiatum ipsi fuerit, rescissum jam in consistorio fuisse vinculum, quo is ecclesiæ obstringebatur; eo autem nuntio ad ipsum perlato, abdicare illico se debet exercitio cujuscumque jurisdictionis, hæcque universa in capitulum transfertur (4).

II. Si Episcopus discesserit non reversurus, seu reliquerit dioecesim quam dimisit, non expectata notitia absolutionis ab illius vinculo in consistorio Sanctitatis Suæ, sicut factum fuit in dioecesi Mechlinensi 1808, unde gravissima mala, dissensiones et schismata diurna processerunt (5); jurisdictione equidem manet penes Episcopum, qui ecclesiam dimisit, etiamsi discesserit, ut liquet ex

(1) Lucius Ferraris *Capitulum* art. III n. 36: Scarfantonius lib. IV, tit. VII, animadv. 10; Hermes *Dissertatio historico-canonica de capitulo lib. post. s. 1, § 2, IV, 2.*

(2) Scarfantonius loco cit. n. 11.

(3) S. C. C. 14 Dec. 1624, confirm. ab Urbano VIII, 20 Mart. 1625 per litteras Apostolicas *Nobis super*, Vid. cap. seq. § 1, III.

(4) Ita Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. XVI, n. X.

(5) Vid. litt. past. dioec. Mechl. tom. I, 1845, fol. XI.

§ 5. DE CASU, QUO EPISCOPUS CAPTUS VEL EXPULSUS FUERIT. 175

supradictis, donec notitiam absolutionis habuerit: ita ut vicarius generalis ab ipso constitutus seu deputatus dioecesim eousque administrare valeat.

§ 5. *De casu, quo Episcopus captus vel expulsus fuerit.*

I. Statuitur in Decretalibus in VI, lib. 1, tit. VIII, de supplenda negligentia Prælatorum c. III: *Si Episcopus a paganis aut schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporalibus ministrare debebit, donec eum libertati restitui, vel per Sedem Apostolicam, cuius interest ecclesiarum providere necessitatibus, super hoc per ipsum capitulum, quam cito commode poterit, consulendam, aliud contigerit ordinari.* Si igitur Episcopus a paganis vel schismaticis in captivitatem ductus fuerit, capitulum se gerit, ac si sedes per mortem vacaret. Hæc autem capituli administratio perseverat, eoque usque retinenda est, quoad capitulum ipsum opportunam ea de re notitiam perferri curaverit ad Sedem Apostolicam, cui reservatum est ea præscribere, quæ deinceps agenda erunt: quemadmodum colligitur ex illis verbis: *donec per Sedem Apostolicam, cuius interest ecclesiarum providere necessitatibus, super hoc per ipsum capitulum, quam cito commode poterit, consulendam, aliud contigerit ordinari*: ut scite expendunt Doctores in præcitat. textum. At id minime locum habet, ubi Episcopus, quamvis ab hostibus captus fuerit, in ea tamen conditione versatur, ut et a dioecesanis litteras accipere, et suis ipse recurrentibus epistolis opportuna ad rectum dioecesis regimen mandata indicere valeat: uti sapienter decrevit Congregatio Concilii in causa *Hiberniae Administrationis Ecclesiarum*, proposita et definita die 7 Augusti 1683. Quod tunc propositum fuit dubium, sequens est: *An casu, quo Episcopus ab haereticis captus detineatur, non ita tamen arcte custoditus, ut ipsi, ejusque dioecesanis, facile non sit, saltem per litteras, inter se agere, ejusdem Episcopi jurisdictione intelligatur suspensa, et ad capitulum ecclesiæ cathedralis devoluta?* Responsum autem fuit: *Jurisdictionem non esse suspensam* (1). Si adsit Episcopi captivi vicarius generalis, plures auctores censem, juris

(1) Ita Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. XVI, n. XI.

dictionem non devolvi ad capitulum; alii autem contra sustinent, et etiam dicunt, Episcopum captivum non posse constituere vicarium, eo quod in hoc casu tota jurisdictione devolvatur ad capitulum, ac si sedes vacaret per mortem Episcopi, quin etiam officium vicarii, si quem Episcopus tempore captitatis haberet, cessare æque ac per mortem (1).

II. Quando autem Episcopus a proprio gubernio e diœcesi ejicitur, aut in carcere retinetur, et sedes Episcopalis est impedita, id est, cessavit plene et complete exercitium jurisdictionis ex parte Episcopi, etiam ex capture hostium vel ex relegatione; tunc juxta aliquos (2) etiam habet locum dispositio citati capitis *Si Episcopus*, nisi Sancta Sedes preventive aliud ordinaverit; ita ut tunc cesset seu suspendatur vicarii quoque generalis jurisdictione, et ad capitulum temporanee devolvatur cura diœcessis. Attamen decretalis *Si Episcopus* ad hos casus non extenditur, cum nec verba legis, nec mens legislatoris hanc extensionem admittant: Verba enim legis administrationem capitulo in eo tantum tribuunt casu, quo Episcopus a paginis aut schismaticis capiatur; et Pontifex, qui per decretalem *Si Episcopus* ecclesiarum necessitatibus providere voluit, certo certius libertatis ecclesiasticæ extinctioni favere noluit. Si igitur decretalis *Si Episcopus* his casibus non applicari possit, et alius juris textus, quo id probetur, non allegetur; sequitur in his casibus jurisdictionem ad capitulum non devolvi. Id præterea probatur in casu Episcopi captivi ex Brevi Gregorii XVI, ad præpositum et canonicos Metropolitani capitulo Coloniensis 9 Maii 1838 *Datae ad nos*, in quo sola jurisdictione vicarii generalis Archiepiscopi captivi agnoscitur et admittitur (3): item in casu Episcopi expulsi ex decreto S. Congregationis Episc. et Reg. 3 Maii 1862, quo electiones vicariorum capitularium in diœcesibus Neapolitanæditionis, in quibus Episcopi e suis sedibus ejecti erant, nullæ, irritæ et nullius roboris declarantur, et quo idem decretum per Sanctitatem Suam extenditur ad capitula, quæ in posterum ad hujusmodi electiones procedent (4). Nullum ergo remanet dubium, quin casu, quo proprium gubernium Episcopo manus injiciat, munus vicarii generalis Episcopi captivi vel expulsi perduret, usque

(1) Vid. Hermes, *Dissertatio historico-canonica de capitulo lib. post. c. 1, § 2*, III; De Angelis, *Prælect. jur. can. lib. 1, tit. X, n. 5*.

(2) De Angelis, *Prælect. jur. can. lib. 1, tit. XXVIII, n. 24*.

(3) Apud Kersten, *journal historique tom. 5, 1 Sept. 1838, fol. 209*.

(4) *Analecta juris Pontificii sér. 6, 1863, fol. 1432*.

dum per Sedem Apostolicam aliud contigerit ordinari; capitulum vero, quod nihilominus sedem vacantem proclamat, et ad vicarii capitularis electionem procedit, gravissimam officii sui violationem committat (1).

§ 6. *De casu, quo Episcopus excommunicatus, suspensus vel hæreticus fuerit.*

I. Episcopo excommunicato vel suspenso, ita ut ipse nec per se nec per vicarium generalem jurisdictionem exercere valeat, jurisdictione tamen non transit ad capitulum, nec est locus electioni vicarii capitularis, quia jus pro hoc casu nihil statuit; sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam, ut provideat (2).

II. Si autem Episcopus notorie sit hæreticus, sedes episcopalnis, non interpretative, sed vere vacat; ideoque jurisdictione devolvitur ad capitulum (3).

§ 7. *De casu, quo Episcopus amens fiat, vel senio aut morbo impediatur.*

Sexti Decretal. lib. III, tit. V, can. *Pastoralis officii statuitur: Si Episcopus demens fuerit, et quid velit aut nolit exprimere nesciat, vel non possit; tunc ejus capitulum vel duæ ipsius partes eadem auctoritate unum aut duos coadjutores assumant idoneos, qui ejus officium execuantur. Si autem Episcopus senio aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo impedimento detenus, ad sui executionem officii reddatur inutilis: et coadjutorem assumere, vel habere noluerit, licet a capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per capitulum innovetur, sed hoc casu et etiam proximo idem capitulum Episcopi et ecclesiæ*

(1) Hermes loco cit. IV, 1; De Angelis, *Prælect. jur. can. lib. I, tit. X, n. 5*.

(2) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de concessione, præb. cap. *Quia diversitatem, n. 16-33*; Lucius Ferraris *Capitulum art. III, n. 36*; Andreucci n. 156 et 157; Bouix p. V, sect. 1, cap. I, n. III; Hermes loco cit. IV ad 4, contra Zallinger lib. 1, Decretal. § 373.

(3) Fagnanus loco cit. n. 34; Andreucci n. 157; Bouix loco cit. n. 1; Lucius Ferraris *sedes vacans n. 4*.

suae conditionem et statum ac facti circumstantias utniversas, quam cito poterit fideliter et explicite referat ad notitiam dictae Sedis, recepturi humiliter et efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari.

Si in casu perpetuæ dementiæ coadjutor seu vicarius capitularis eligatur, electio, ut liquet ex decretali allato, tantum perficitur omnium vel saltem duarum tertiarum partium suffragio.

Plures censem vicarium generalem Episcopi amentis, si existat, suum servare officium et auctoritatem, et in hoc igitur casu vicarium capitularem eligendum non esse (1).

CAPUT XVIII.

OFFICIUM CAPITULI CATHEDRALIS SEDE VACUA.

§ 1. Quando sedes episcopalnis vacat.

I. Sedes Episcopalis vacat : 1º per mortem Episcopi, 2º per ejus renuntiationem, 3º per ejus translationem ad aliam sedem, 4º per illius depositionem, 5º per notoriam hæresim, ut dictum est cap. XVII, § 6, 6º quasi vacat, quando a paganis aut schismaticis captus est, ut dictum est ibidem § 5, 7º item quando factus est amens, ut dictum est § 7. Non vacat autem per absentiam Episcopi, neque per ejus incarcerationem aut expulsionem a proprio gubernio, neque per excommunicationem aut suspensionem, sicut dictum est cap. præc. § 3, 5 et 6.

II. Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ, et non præsumptæ Episcopi, vel a die certæ translationis, resignationis et hujusmodi, ita ut, quævis sit causa vacationis, capitulum jurisdictionem exercere non possit ante certam habitam vacationis notitiam, sicut declaravit S. Congregatio Episc. et Reg. in una Neritonen 24 Maii 1654 (2).

Notandum autem est, capitulum, post certam habitam vacationis notitiam, non posse uti jurisdictione, neque procedere ad electionem vicarii capitularis, quando vicarius Episcopi defuncti, vel translati, vel renuntiantis missus fuerat a Sede Apostolica vel a

(1) Vid Andreucci n. 164; Hermes loco cit. IV, 3; Craisson n. 1220; De Angelis, Prælect. jur. can. lib. 1, tit. X, n. 5.

(2) Lucius Ferraris *Sedes vacans* n. 6.

S. Congregatione, quia hujus jurisdictione, utpote a Superiori data, sede vacante non suspenditur, nec supprimitur (1).

III. In casu mortis sedes vacat, statim ac moritur Episcopus. Capitulum tamen, ut jam dictum est, certam mortis notitiam habere debet, antequam aliquem jurisdictionis actum exerceat (2). Si Episcopus apud propriam ecclesiam moriatur, nulla alia notitia necessaria est, quam quæ ex veritate facti oritur; et si extra diocesim dicesserit, sufficit notitia undecumque hausta, sufficientibus indiciis manifestata (3).

2. Per renuntiationem sedes vacat, non ab eo tempore, quo quis renuntiat vel abdicat; renuntiatio enim ut valida sit, a Papa acceptanda est : sed ab eo tempore seu momento, quo Episcopus ab ecclesiæ vinculo absolvitur in consistorio Sanctitatis Suæ juxta declarationem sequentem : *Die 14 Decembris 1624 Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium negotiorum Episcoporum præposita, S. D. N. approbante, censuit ecclesiam, a qua volens transfertur, seu quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ. Et posteaquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariae jurisdictionis, eamque transire in capitulum tanquam Sede vacante : et ita posse, et debere capitulum statim ea jurisdictione uti, ac vicarium juxta Tridentini Concilii præscriptum eligere sedemque vacantem publicare.* Hanc declarationem confirmavit Urbanus VIII per litteras Apostolicas *Nobis super 20 Mart 1625* (4). Sedes igitur vacat ab eo tempore, quo Episcopus per Sanctitatem Suam ab ecclesia absolvitur in consistorio : Episcopus tamen renuntians jurisdictionem retinet, quoisque hoc ipsi nuntiatum fuerit; eo autem nuntio accepto, Episcopus renuntians illico se

(1) S. C. Episc. 4 Aug. 1578 in *Aquitana*; 17 Nov. 1590, apud Lucium Ferr. *Capitulum* art. III, n. 38; 16 Nov. 1815, *Fundana*; 21 Mart. 1832, *Lucana*, *Analecta juris Pontif. sér. 12*, fol. 869 et 1134.

(2) Bouix p. V, s. I, cap. IV.

(3) Louvrex dissert. IV, n. 21 et 22.

(4) Impressæ reperiuntur post tractatum Barbosæ de officio et potest. Ep. edit. Lugdun. p. III. Vid. Reiffenstuel lib. I *Decretal.* tit. VII, n. 36; Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. XVI, n. X; cap. præc. XVII, § 4.